

3) « Humanam denique societatem atheismus impossibilem facit. Quae enim sunt humani convictus fundamenta, nisi mutua fides, legum reverentia, in principe amor iustitiae, in subditis obsequium erga auctoritatem, in omnibus patriae amor et civium charitas? Haec autem omnia in athea hominum multitudine frustra requires. Invisibilis enim atque omnia videntis potestatis timore sublato, omnique futurorum bonorum adempta spe, unica superest agendi regula, utilitas; unicus finis, voluptas; unicum efferentibus se cupiditatibus fraenum, timor. In imperantibus timor populi, in populo timor imperantis, hoc totum societatis fundamentum erit; ac propterea ius unicum, fortioris voluntas; unica debilibus relicta defensio, simulatio, fraus, proditio. Nonne praestat in sylvis atque inter feras degere, quam in eiusmodi societate versari? » (TONGIORGI, *Theol.*, lib. I, cap. V).

Coroll. — Athei sunt inimici civilis societatis, non minus quam sui ipsius et Dei. Omnis itaque civilis societas, sicut habet ius et officium consulendi propriae conservationi, sic habet ius et officium se contra atheos vindicandi.

CAPUT II.

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS.

« Intellectus noster, cum cognoscat Deum ex creaturis, format, ad intelligendum Deum, conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturis » (*S. Th.*, p. I, q. XIII, a. 4). Hinc fit ut, quamquam natura divina summa fruatur simplicitate omnemque compositionem a se excludat, nihilo tamen secus nos non possimus illam intelligere, nisi distinguendo in ipsa, sicut in creaturis distinctae sunt, perfectiones multiplices quas unica infinitaque sua perfectione aequivalenter possidet.

Perfectiones huiusmodi sunt quae *attributa* vel etiam *nomina* Dei vocantur: dividi autem solent in *absoluta* et *relativa*, prout aut conveniunt naturae divinae in se consideratae, aut conveniunt eidem naturae consideratae in relatione cum rebus creatis.

In praesenti capite de absolutis tantum disseremus; nec de omnibus quidem, nam foret prorsus impossibile, sed de illis tantum in quibus explicandis graviores difficultates occurrere possunt.

ARTICULUS I.

DE METAPHYSICO CONSTITUTIVO ESSENTIAE DEI.

Perfectiones creaturarum nobis apparent distinctae, non solum, sed etiam mutuo subordinatae, h. e. dimanantes alia ex alia, et omnes ex una prima quae per se satis exhibet essentiam (metaphysicam) rei, ac proinde habetur tamquam constitutivum eius. Hoc ipsum contingit de perfectionibus divinis: ratio vero est manifesta, etenim scimus ipsas nobis non innotescere nisi per analogiam ex praecognitis perfectionibus creaturarum. Debemus itaque vestigare quaenam, ex innumeris Dei perfectionibus, considerata sit veluti constitutivum essentiae eius sensu modo dicto. Quaestio haec, licet tantum methodica, perutilis est; siquidem, conciliando unitatem conceptibus diversis quibus perfectissimam ac simplicissimam naturam Dei apprehendimus, reddit cognitionem nostram magis scientificam simul et simplicitati sui obiecti magis conformem.

THESIS. *Deus est ipsum esse subsistens; in hoc autem reponi debet metaphysicum eius constitutivum.*

Prob. I. p. (*Deus est ipsum esse subsistens*). — Deus, uti ens primum et absolute necessarium (Cfr. p. 333), habet esse, h. e. existere, *a se*. Atqui nullum ens potest habere esse a se *efficienter*, quatenus scilicet tribuat esse sibiipsi ut causa; nemo enim operatur priusquam existat. Ergo Deus nequit habere esse a se *efficienter*. Sed si Deus nequit habere esse a se *efficienter*, debet habere esse a se *formaliter*, quatenus scilicet eius essentia est esse; etenim nulla alia hypothesis fieri potest. Ergo essentia Dei est esse. Sed si essentia Dei est esse, Deus est ipsum esse subsistens (*l'essistere stesso*

in persona) ; illud enim ens dicitur *ipsum esse subsistens*, quod non est esse receptum, participatum, sed est esse ratione sui, esse per essentiam, esse cuius essentia est esse. Ergo...

Prob. II p. (in hoc reponi debet metaphysicum eius constitutivum). — Metaphysicum constitutivum alicuius rei dicitur perfectio illa quae: — 1) est ratio et quasi radix caeterarum; — 2) et ideo per se satis exhibet quid res sit; — 3) eamque discernit ab omnibus aliis. Nunc age: quum Deum concipimus ut *ipsum esse subsistens*:

a) Concipimus quod, pro nostro intelligendi modo, in Deo est ratio et quasi radix caeterarum eius notarum. Revera, etsi nos Deum apprehendimus uti ens primum, causam contingentium, intelligentissimum, etc., antequam eum apprehendamus uti ipsum esse subsistens, nihilominus, re bene perpensa, intelligimus Deum esse ens primum, causam contingentium..., quia est ipsum esse subsistens; et non contra.

b) Concipimus quod per se satis exhibet perfectissimam quidditatem Dei. Et sane, esse, h. e. existere, et perfectio sunt idem: unde nihil dicitur perfectum nisi quatenus aliquo modo existit. Si igitur concipimus Deum uti ipsum esse subsistens, concipimus Deum uti ipsam perfectionem, atque ab illo implicite removemus omnem imperfectionem.

c) Concipimus quod optime secernit Deum ab omnibus aliis entibus: enimvero omnia alia entia habent quidem hoc vel illud esse et ideo hanc vel illam perfectionem, receptam, participatam, contingentem, sed non sunt ipsum esse, ipsa perfectio per se, h. e. ratione sui, subsistens, absolute necessaria.

Coroll. I. — Nunc claret cur Aquinas, et generatim veteres doctores, ponendo quaestionem de existentia Dei, non ei praefigebant titulum: « *Utrum Deus existat* », sed « *Utrum Deus sit* ». — Verbum existere, stricte loquendo, significat *esse ex aliqua causa*; sed contra Deus est ipsum esse, esse irreceptum, esse imparticipatum.

Coroll. II. — Claret etiam cur Deus, Moysi interroganti quis esset, respondit: *Ego sum qui sum* », vel, ut LXX vertunt: « Ἐγώ εἰμι ὁ ὢν, *Ego sum qui est* ». — Et

paulo post: « Sic dices ad eos: Ὁ ὢν, *Qui est, misit me ad vos* » (EXOD. III.)

Coroll. III. — Claret denique pantheistas germanicos ineptire quum dictant absolutum, Deum, *ponere* h. e. efficere seipsum (1). Absolutum, ut efficeret seipsum, deberet simul esse et non esse, esse necessarium et esse contingens: quod evidentissime repugnat.

Coroll. IV. — Claret atheos, dum proclamant materiam improproductam, aeternam, tribuere materiae, immo cuilibet materiae parti, *existere a se*, i. e. summam inter perfectiones, perfectionem quae est fons caeterarum perfectionum; sicque Deum negando fingere omnia esse Deum, et ex atheismo in pantheismum necessario procumbere.

Obi. — Si mens nostra sibi repraesentat tanquam distinctas perfectiones, quae in Deo neutiquam distinguuntur, nostra Dei cognitio evadit falsa.

R. — *Nego*, siquidem mens nostra, licet propter suam imperfectionem, apprehendat perfectiones divinas singillatim, distincte, non iudicat tamen illas esse realiter distinctas. Ergo... — In perfectionibus divinis, quas mens nostra sibi repraesentat, duo distinguenda veniunt: entitas seu perfectio repraesentata, et modus eam repraesentandi. Illa iure merito de Deo affirmatur, iste vero non: quamobrem nostra Dei cognitio nulla falsitate laborat.

ARTICULUS II.

DE INFINITATE DEI.

In praesens non agitamus quaestionem de infinitate Dei quoad hanc illamve peculiarem perfectionem, puta duratio-

(1) « . . . Un principio assoluto non può esser posto da altro, ma si pone da se stesso. Questo linguaggio tolto a prestanza dalle scuole Alemanne, implica evidentemente contraddizione. Il *porre se stesso* richiederebbe che il principio assoluto fosse ad un'ora e anteriore, e posteriore a se medesimo: anteriore a fin di porsi; posteriore a fin di esser posto. Non ci ha altro verso di scampare le ripugnanze, se non quello di seguire l'ordinaria e antica forma di espressione che usarono mai sempre le scuole razionali, dicendo che l'assoluto è per virtù essenziale di sua natura » (CAROLI, *La Filosofia nelle Università Ital.*, n. 12)

nem, praesentiam (de his duabus, aliisque perfectionibus, totidem articulos exarabimus); sed prosequimur infinitatem Dei quoad *esse*, et proinde quoad perfectionem in genere, nam *esse* et perfectio sunt idem.

THESIS. — *Deus est absolute perfectus h. e. infinitus.*

Prob. I. — Ex dictis in anteriori articulo Deus est ipsum esse subsistens. Atqui, si Deus est ipsum esse subsistens, nihil ei deesse potest de perfectione, de plenitudine essendi; nam « omnium perfectiones pertinent ad perfectionem essendi », et « secundum hoc aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo esse habent » (I, q. IV, a. 2). Ergo...

II. — Si Deus esset ens finitum, nempe limitatum aut ab alio limitatum fuisset, aut ab essentia sua, aut ab actione sua. Atqui: — 1) non ab alio, quia, utpote causa prima omnium, habet esse independens, imparticipatum; — 2) non ab essentia sua, quia essentia sua est esse, esse vero, uti modo innuimus, nedum respuat aliquam perfectionem, omnes perfectiones in se complectitur; — 3) non ab actione sua, nam ut quis actione sua seipsum limitaret, deberet agere prius quam existere: quod evidenter repugnat. Ergo...

III. — Nullum ens finitum est ens *a se*. Et sane, si finitum quid esset ens a se, hoc ideo esset vel quia *simpliciter* finitum, vel quia *tale* finitum, h. e. determinatae alicuius naturae seu speciei. Sed neutrum admitti potest. — Non primum, quia hac in hypothesis omne finitum deberet esse, et quidem esse a se: quod manifeste contradicitur observatione quotidiana, et ipsi rationi repugnat, haberemus enim in *actu* numerum infinitum entium finitorum *possibilium* — Non alterum, quia, omne finitum, quantumvis perfectae naturae habet, supra se perfectiora possibilis, et quidem numero infinita, quae, utpote perfectiora, maiorem habent rationem essendi a se: nec tamen sunt ullo modo, quia mere possibilis; nec esse possunt, quia numero infinita, et numerus infinitus in actu repugnat. — Post haec observa: ens a se (Deus) procul dubio existit, nam aliter nihil omnino existeret. Sed, ex probatis, nullum finitum esse potest ens a se; inter finitum autem et infinitum non datur medium. Ergo...

IV. — Homines generatim Deum infinitum esse arbitrantur, siquidem illi tribuunt omne quod optimum atque excellentissimum est. « Omnes », inquit D. Augustinus, « certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt » (*De Doct. Christ.*, lib. I, c. VII, n. 7). — Ad philosophos autem quod attinet, quamquam haud raro circa naturam infiniti commenticias ac plane absurdas sententias protulerint nihilominus constat ipsos, quasi a veritate coactos, unanimiter infinitum posuisse primum rerum principium.

Schol. — Ut innumeris difficultatibus atque erroribus precludatur aditus, haec sedulo considerare oportet:

1) Perfectiones, aliae sunt *simplices*, aliae *mixtae*. Simples dicuntur quae, in ipsa sui ratione, h. e. in se spectatae, nullam imperfectionem exhibent (ut e. gr. esse, vivere, intelligere), et ideo non pugnant cum maiore perfectione; mixtae vero dicuntur quae, etiam in se spectatae, exhibent aliquam imperfectionem (e. gr. extendi, vegetare, ratiocinari), ideoque opponuntur maiori perfectioni.

2) Equidem insunt Deo perfectiones omnes, sed aliter et aliter. — Perfectiones simplices, si spectentur in se, insunt *formaliter*, scilicet iuxta propriam nominis significationem; si contra spectentur qualiter reperiuntur in creaturis, realiter distinctae ac limitibus circumscriptae, non nisi *eminenter*, ideoque nobiliori modo et secundum aliquam analogiam inesse possunt Deo. — Perfectiones mixtae, quomodoque spectentur nequeunt inesse Deo *formaliter*, sed tantum *eminenter*. Itaque Deus non est in spatiis extensive, circumscriptive, sed repletive (Cfr. *Ont.*); non vegetat, sed vivit vita quae nullam penitus mutationem substantialem vel accidentalem habet adnexam; non ratiocinatur, sed intelligit, et quidem intelligit omnia obtutu uno, qui realiter non distinguitur ab ipso esse Dei.

3) Ut ad cognitionem perfectissimae naturae Dei surgere valeamus, tres nobis suppetunt viae. — Prima est *causalitatis* seu *affirmationis*, qua, principio causalitatis in-

nixi, quidquid perfectionis in creaturis respicimus, illud affirmamus de Deo causa prima omnium; — altera *remotionis* seu *negationis*, qua negando a Deo removemus omnem imperfectionem omnemque limitem proprium cuiusvis creaturae; — tertia denique *excessu* seu *eminentiae*, cuius ope, removentes a Deo quidquid sapit imperfectionem et limitem, tribuimus illi perfectiones omnes gradu eminentissimo, illimitato.

Coroll. I. — Cognitio comprehensiva, nempe adaequata, Dei evadit impossibilis ipsis beatis. « Unumquodque enim sic cognoscibile est, secundum quod est ens actu. Deus igitur, cuius esse est infinitum, infinite cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere. In tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit, in quantum maiore vel minore lumine gloriae perfunditur. Cum igitur lumen gloriae creatum, in quocumque intellectu creato receptum, non possit esse infinitum, impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat. Unde impossibile est Deum comprehendere » (*S. Th.*, p. I, q. XII, a. 7).

Coroll. II. — Deus transcendit omne rerum genus, et ideo quae praedicantur de creaturis, non *univoce*, sed tantum *analogice* de Deo praedicari possunt. De Deo, v. g., praedicatur spiritualitas, at Deus est spiritus qui prae se fert, eminenter, etiam perfectiones corporum; de Deo praedicatur vita, sed vita eius longe alia res est ac vita creaturarum, ipse enim in se non admittit mutationem aliquam, nec ab ullo alio dependet; de Deo praedicatur substantialitas, sed ipse non substat accidentibus, quemadmodum contingit aliis substantiis; de Deo praedicatur esse, at Deus est ipsum esse, caetera vero habent aliquid esse.

Coroll. III. — Immerito pantheistae nobis inurere conantur infamiam *anthropomorphismi*, quia Deo tribuimus vitam, intelligentiam, voluntatem, etc. Infamia haec, non nobis, sed ipsis inurenda est. Dum enim nos Deo tribuimus dumtaxat perfectiones hominis, et quidem eminenter atque analogice, ipsi praedicant hominem, cum omnibus suis perfectionibus et imperfectionibus, cum omnibus suis virtuti-

bus et vitiis, non esse nisi partem, formam, manifestationem Dei (1).

Coroll. IV. — Deus nequit esse rationalis essentia mundi, i. e. *ratio absoluta*, *idea* quae in mundo evolvatur et actuetur, sicut pantheistae idealistae effutiunt. Re enim vera:

1) Characteres *ideae*, *rationis*, *intelligentiae* cuiusvis ordinis, et, *a fortiori*, characteres *ideae*, *rationis*, *intelligentiae* absolutae, e diametro opponuntur characteribus mundi. Sane: — a) mundus est complexus rerum materialium; *ideae* vero, *rationes*, *intelligentiae*, etiam infimi ordinis, uti humanae, sunt res immateriales (Cfr. pag. 224-6);

(1) « È antropomorfismo riferire a Dio le qualità dell'uomo nella loro imperfezione, non già nella loro perfezione e nel modo convenevole alla infinita natura di Dio. Così ragionando, noi usiamo di quel procedimento argomentativo che è detto analogico. E, certo, la logica non ce lo vieta. Da Aristotile, che ne stabilì le leggi nel lib. I dei *Topici* e nel II degli *Analitici* fino a Stuart Mill, che ne trattò nel lib. III, nel suo *Sistema di logica raziocinativa e induttiva*, l'analogia ha avuto sempre un valore grandissimo nella scienza, e, non abusata, può condurre ed ha condotto a stupendi risultamenti. Quando dunque attribuiamo a Dio le qualità dell'uomo nella loro perfezione non facciamo umano Id-dio, ma fondando la nostra argomentazione analogica su le intime e necessarie relazioni che legano il finito all'infinito, le stesse qualità predichiamo dell'uno e dell'altro per diversi rispetti, del finito, cioè, in modo finito e dell'infinito in modo infinito, ossia per rimozione di limiti e per sovraeminenza. L'Hartmann a niun costo vuole riferite a Dio le qualità dell'uomo sì nella loro imperfezione e sì nella loro perfezione a non correre il rischio di far di Dio un uomo in astratto e cadere nella mitologia e nell'idolatria. Così prima dell'Hartmann ha parlato anche Spinoza, e parlano così tutti i panteisti. Che si possa nell'uso delle astrazioni analogiche riferentisi a Dio trascorrere in rappresentazioni assurde dell'Infinito non si vuol negare; e di che cosa non si può abusare? Se dall'abuso volessimo giudicare l'uso, nulla potremmo usare. Ma è poi possibile fare ammeno delle attribuzioni analogiche discorrendo di Dio? Il fatto stesso dei panteisti che, non ostante le loro solenni dichiarazioni, non dubitano di dare a Dio or la Ragione e l'Intelligenza, or l'Idea e la Volontà, come fa lo stesso Hartmann, or la Sostanza, come ha praticato Spinoza, ci rivela la inevitabile necessità in cui è l'intelletto nostro di pensare l'Assoluto e l'Infinito per concetti attinentisi a cose finite e relative, e indi per via d'astrazione rimuovere le imperfezioni che in essi si inchiudono, e predicarli di Dio proporzionevolmente alla sua essenza assoluta e infinita » (TALAMO, *L'inconscio dell'Hartmann e la coscienza*, pag. 22-3).

— b) mundus est contingens, finitus, temporaneus (Cfr. pag. 333-5); idea vero, ratio seu, melius, intelligentia absoluta, quia absoluta, necessaria, infinita, aeternaque esse debet. Iam evidenter repugnat immateriale, necessarium, infinitum, aeternum essentiam constituere materialis, contingentis, finiti, temporanei. Ergo... (1).

2) Ratio absoluta, idea, quam adversarii cum Deo confundunt et fingunt in mundo evolvere et actuari, non esset, iuxta ipsos, nisi ens in genere, ens universale, ens indeterminatum, quod sese determinando constituit rerum universitatem, distinctam in genera, species et individua. Atqui:

a) Deus et ens universale, indeterminatum, sunt res omnino diversae et oppositae. Nam Deus est causa prima omnium, est ipsum esse per se subsistens, ipsa actualitas seu perfectio infinita. Contra ens universale, indeterminatum, non est nisi maxima abstractio mentis nostrae; est quid imperfectissimum, nam praescindit ab ipsa actuali existentia sicque praedicatur etiam de mere possibilibus: est infinitum solum in potentia, et quidem, non quatenus seipsum indefinite perfici possit (ut dictant adversarii), sed quatenus mens nostra, quae illud per primam et maximam abstractionem effecit, potest per abstractiones successivas et innumeras sibi procurdere alias ideas, hasque illi adiungere ut

(1) « Dio è l'essenza razionale del mondo; esso è la ragione assoluta in atto nell'universo. Ma come si prova tutto ciò? quali ragioni adducete di codeste franche e temerarie affermazioni? Che in Dio ci sia la ragione intelligibile del mondo, come nella mente di ogni architetto è la ragione intelligibile delle opere sue, niuno contrasta ne contrastò mai. Ma ch'egli sia e non sia altro che la essenza razionale, assoluta in atto nell'universo, cosicchè l'atto del suo esistere sia quel medesimo che ha l'universo, vale a dire il complesso delle cose finite, questa la è una gratuita asserzione, che si nega e si negherà da ogni mente che non abbia smarrito il lume della ragione. Si nega e si negherà per quelle medesime ragioni, onde il Sig. Professore (D'Ercole) ha stabilito l'assettà, la illimitazione dell'essere proprio del Principio Assoluto. Imperocchè l'atto che costituisce la realtà dell'universo è finito e limitato com'esso, e presuppone distinto da sè e infinitamente diverso l'infinito e l'illimitato atto del Principio Assoluto che gli uomini chiamano Dio » (CAROLI, op. cit., n. 15).

magis determinetur et perficiatur (Cfr. pag. 184-5). Ergo Deus et ens universale nequeunt simul confundi.

b) Adversarii, confundendo ens universale cum Deo, et insuper docendo ens universale, per successivas suas determinationes, varia rerum genera, species et individua constituere, confundunt *primum logicum* cum *primo ontologico*, processum dialecticum cum processu reali, ideas repraesentativas rerum cum rebus ipsis; adimunt pluralitatem substantiarum, supponendo esse substratum omnium quod non est nisi expressio imperfectissima entitatis (1); adimunt libertatem, ideoque imputabilitatem, moralitatem, etc., docendo ens, substratum omnium, sese necessario determinare.

Coroll. V. — Deus nequit esse mundus et eo minus materia mundi, quemadmodum censent pantheistae mate-

(1) « Per cominciare senza veruna presupposizione si muove dall'essere indeterminato, e, immedesimato con l'assoluto, si considera come unità assoluta del reale e dell'ideale, dell'essere e del pensiero. Poi, a fine di potere, mediante un processo intrinseco, svolgere da quel primo cominciamento tutte le cose, senza prendere nulla dal di fuori, si riconosce in quello stesso cominciamento un'attività che tutto produce, ed una potenzialità che accoglie tutta quanta l'attualità. Conciossiachè, se il pensare è lo stesso essere, tutte le determinazioni che il pensare pone in se stesso, le pone nell'essere: l'un processo è identico all'altro: il processo del pensiero e quello dell'essere: pensare è creare. Onde a quel modo, che l'essere universale rimane in tutti i nostri concetti, ed è in continua mutazione per le determinazioni che il nostro pensiero gli aggiunge; a quel modo stesso, scambiato il processo logico col reale, si considera l'essere universale come sostrato comune di tutte le cose, e come loro intimo e comune fondamento, ch'è in continua mutazione, e che per un'infinita metamorfosi è capace di tutte le determinazioni possibili. Così il concetto fondamentale degli Eleati, che tutto sia uno per l'idea, ed in quanto è siffattamente uno, esso tutto sia Dio, viene compiuto nel panteismo logico della filosofia d'identità. Nè si poteva meglio qualificare l'unotalità del comune principio delle cose, che chiamandolo *processo eterno*. Il principio, adunque della medesimezza fra l'essere ed il pensiero, ch'è dote esclusiva di Dio, il quale perciò non può diventare manifesto a se stesso in seguito di un processo di attuazione e di differenziamento, è un principio più antico molto dell'Hegel, avendolo già gli Eleati e Giordano Bruno affermato con molta precisione » (PRISCO, *La metafis. di S. Tom. d'Ag. consid. in sè e nella sua opposiz. alla specolaz. monistica*, art. IV, n. II).

rialistae. Et sane Deus, ut nuper demonstratum est, omnem gradum perfectionis modo perfectissimo in se continet; ex adverso, materia est imperfectissima rerum, et quidquid materiale est, necessario caret perfectionibus excellentioribus, uti, e. g., intelligere et velle (1).

(1) « Dio è per noi il necessario, l'infinito, la somma perfezione, il motore, l'ordinatore intelligente dell'universo, il Creatore e il Signore della nostra vita. Se Dio non esiste è assolutamente necessario che la materia risponda a tutte queste idee, perchè è impossibile toglierle di mezzo senza costringere lo spirito umano a mentire e senza precipitare nel caos più spaventoso. La qual cosa non è per certo intesa dagli operai e dai pontefici del grand'idolo (*materia*), ve l'assicuro: essi ubbidiscono ad una forza fatale, che attribuisce alla materia tutto ciò che si rapisce a Dio. La materia pertanto dee portare il peso del necessario, dell'infinito, della somma perfezione, dell'onnipotenza intelligente, ed eccola schiacciata.

Come mai sarebbe necessario quest'essere sì divisibile e diviso, che senza tregua acquista e perde, ch'io posso concepire diverso da ciò che è, e che posso a talento aumentare, diminuire e mutare? Schiava di questa potenza signoreggiatrice, solo per essa la materia non può acquistare coscienza di sè stessa. La materia sarebbe necessaria! Eppure non possiede alcun mezzo per manifestare la sua necessità, e non conosce questi se non in una forma contingente e mercè fenomeni contingenti! Essere necessario veramente strano!

Come sarebbe essa la materia infinita? Per concepire l'infinito si tolgono ad un tempo il limite ed il numero: ora, la materia è sempre compresa tutta nei numeri. Non solo gli esseri distinti si moltiplicano, ma ciascun essere e ciascuna parte di essere si risolve in una moltitudine innumerabile di elementi, che sfuggono all'osservazione. Tutte codeste quantità finite, sommate insieme, non ci daranno mai altro che un numero finito. Un numero attualmente infinito di unità successive ripugna all'intelligenza. Fosse pure possibile; l'affermarlo sarebbe sempre un mentire ai fatti: poichè un numero infinito nella materia produrrebbe l'assoluto nella sua pienezza, nel suo grado massimo di densità: allora il moto diventa assurdo, lo spazio immaginario, le forme si confondono, i movimenti si arrestano, il mondo non è più che una massa, una notte buia, un silenzio immenso.

Abbiamo le stesse difficoltà quanto alla perfezione. Io non posso ammettere che il sommo perfetto esista là dove posso dire *il più e il meno*, e dove vedo incessanti mutamenti, mentre la mia intelligenza va cercando un essere, nel quale, giusta l'espressione biblica, non vi ha ombra di mutamento. Mi dicono, la materia è sempre in travaglio, ed io nol nego. Ma checchè essa faccia, non giungerà mai fino alle regioni

Coroll. VI. — Deus nequit esse anima mundi, ut antiquitus somniarunt stoici atque in praesens somniant panpsychistae. Et vero, si Deus esset anima mundi, praeterquam quod mundus foret substantia unica, organica, sensu vel saltem vita praedita in cunctis suis partibus (quo nihil falsius); Deus aliquo modo indigeret unione cum materia, vel ad existendum, vel saltem ad operandum, et ideo: — 1) non fuisset auctor materiae, contra omnia quae statuimus in expositione argumenti metaphysici pro existentia Dei; — 2) non esset infinite perfectus contra omnia quae paulo ante retulimus.

Coroll. VII. — Athei, negando existentiam Deo ut eam unice tribuant materiae, supponunt imperfectum habere ius et possibilitatem existendi plus quam perfectum; imperfectionem, scilicet carentiam *esse*, praecedere perfectionem, sci-

sublimi, dove per me sta la perfezione. Man mano che essa risplenderà più bella, io mi spingerò più oltre, e se io non sono che materia, io stesso altro non farei che gittare a me stesso una sfida eterna a nome d'un essere impossibile. E come potrebbe questa materia dirsi l'essere perfetto, essa che porta nel suo grembo la contraddizione?

Che se voi, o Signori, non vedete chiaramente le ferite, che l'idolo riceve dalle grandi idee, che contro di essa io vengo lanciando, discendete dalla metafisica nelle regioni più umili del senso comune e collocate la materia in faccia al movimento universale e alla sterminata varietà degli esseri e dell'ordine mondiale. Se Dio non esiste è forza che questa materia sia la madre di tutte queste meraviglie, e frattanto a detto degli stessi adoratori della materia, essa è in se stessa indifferentemente cieca. Quando « per uno sforzo innato, essa va organando i suoi elementi dispersi e acquistando proprietà e perfezioni che non aveva » (Taine), schiava di leggi fatali che la spingono innanzi, essa subisce la tirannia di tutte le condizioni fortuite che determinarono le sue forme. « Causa veramente singolare! scrive saviamente un critico moderno; essa ferisce tutte le leggi della logica, perchè opera ogni cosa contro se medesima; essa che è priva d'intelligenza, produce un'opera intelligente; cieca, genera l'armonia; imprevedente, provvede a tutto; casuale, crea l'ordine; inconscio, stabilisce la coscienza; fatale, si regola come se avesse volontà: inanimata, partorisce l'anima e la vita; senza ragione, senza viscere e senza sentimenti, crea i miracoli del genio e dell'amore. » (MONSABRÉ, op. cit., conf. VI).